

Quaestio II

An Pater necessitate seu voluntate filium genuerit?

Veritas est quod Pater necessitate quidem tum formalis exigentiae, tum immutabilitatis Filium genuerit. Unde, cum id sine summa complacentia fieri non possit, voluntate quoque eundem genuisse comprobatur.

UTRUM PATER genuerit Filium necessitate vel voluntate. Et videtur quod necessitate, quia illud Pater producit necessitate, quod non potest non producere, sed Pater non potest Filium non producere. Maior patet ex 2 Perihermenias, ubi in quarto ordine modalium non possibile non esse, convertitur cum necesse esse. Minorem declare, quia, si posset ipsum non producere, tunc contingenter produceret ipsum. Nam possibile non esse, et contingens esse aequipollent in secundo ordine modalium. Sed nullum contingenter productum ex vi suae productionis est formaliter necesse esse, nec per consequens potest esse Deus, ergo, si Pater posset Filium non producere, Filius non esset Deus. Ex quo patet quod illa est falsa. Pater potest Filium non producere, et per consequens eius contradictoria erit vera, scilicet ista, Pater non potest Filium non producer, quia prima est in secundo Angulo modalium, et alia in quarto, quae semper contradicunt. CONTRA, delectabilissima operatio non potest esse sine actu voluntatis. Sed generare divinum est delectabilissima operatio, ergo etc. Maior patet, quia nulla potest esse delectatio absque complacentia voluntatis. Minorem probo, quia operatio perfectissima est delectabilissima, ut patet 1 et 10 Ethicorum *sed generare divinum est operatio perfectissima*. Nam actus et operationes cum specificentur ex terminis, tanto quaelibet operatio est perfectior, quanto terminus per ipsa pro-[130a]-ductus

[130]

est perfectior, sed Filius, qui est terminus divinae generationis, est infinitae perfectionis. Hic quattuor breviter faciam. Primo, ad declarationem terminorum ponam duas distinctiones. Secundo, ostendam quomodo Pater necessitate dicitur generare Filium. Tertio, quomodo voluntate. Quarto, adducam aliqua contra me et respondebo ad ea.

QUANTUM ad primum, primo distinguam de necessitate, secundo de voluntate. Necessarium enim multis modis dicitur, ut patet 5 Metaphysicae¹. Tamen, quia praesens quaestio videtur quaerere de necessitate per respectum ad causam, sive ad principium, ideo ceteris modis praetermissis, est sciendum, quod secundum 4 Causarum genera quadrupliciter per relationem ad principium, sive causam, aliqua dicuntur necessaria, et secundum hoc erunt modi necessitatis. Primus respectu causae materialis, et haec necessitas dicitur indigentiae, puta illud habet materiam partem sui, sive in isto est aliquid ad modum materiae, puta potentia passiva, ideo necessario indiget conservante, quia sibi de relictum necessario destruetur. Secundus modus respectu causae formalis, et haec necessitas dicitur exigentiae, puta ignis est necessario calidus, quia natura sua hoc exigit. Tertius attribuitur causae efficienti, et hoc dupliciter. Quia, vel tale agens huiusmodi necessitate consequitur ex principio sibi intrinsece inexistente, et haec potest dici necessitas immutabilitatis, sicut ignis quantum est ex parte sui immutabiliter calefacit, quamvis per accidens posset impediri, puta si deficeret sibi materia; vel tale agens consequitur huiusmodi necessitatem a principio extrinseco, nullam sibi virtutem intrinsece conferente, et haec dicitur necessitas coactionis, puta lapis aerem necessario movet, quia a proiciente impellitur violenter. Quartus, respectu causae finalis, et haec dicitur necessitas

¹ tex. c. 6

conditionis, sive conditionata, puta si talem finem vis consequi, necesse est te talibus mediis uti. Voluntas etiam, ut ad praesens spectat, dupliciter potest sumi. Uno modo pro potentia volitiva, sive principio volitivo, alio modo pro actu perfecto ipsius voluntatis, sive principia volitivi modo, quo dicitur in Ethicis², quod voluntas est ipsius finis, electio eorum, quae sunt ad finem.

HIS PRAEMISSIS, quoad secundum principale, scilicet quomodo Pater dicitur Filium necessitate generare, dico quod primus modus necessitatis in Deo nullo modo potest poni, quia, cum ipse sit purus actus, in ipso nec erit materia, nec aliquid material, et per consequens nihil proveniens ex necessitate materiae in ipso locum habet. Nec quartus modus proprie in Deo potest poni, quia Deus, cum omnino sit in seipso sibi sufficiens et omnem habeat perfectionem, ipse non agit propter aliquem finem consequendum, tamen, quia bene agit Deus propter bonitatem suam communicandam, aliquo modo necessitas quarto modo dicta, cum sit conditionata, potest Deo convenire, puta, si Deus vult suam bonitatem communicare homini, necesse est ut hominem producat, quia ei quod omnino nihil est, nihil communicari potest. Secunda particula tertii modi penitus a Deo debet excludi, quia, cum sit omnipotens, a nullo extrinseco violentari potest. Quaestio igitur praesens, his praedictis exclusis, supra secundo modo necessitatis et supra prima particula tertii modi vertetur. Ideo dico quod, loquendo de secundo modo necessitatis, tunc generatio Filii est necessario in divinis, quia natura divina, quae est forma purissima, sive purus actus, hoc necessario exigit, quod in tribus subsistat personis. Sed trinitas in divinis esse non potest, nisi Pater generet Filium et uterque producat Spiritum Sanctum, ergo de necessitate naturalis, sive formalis exigentiae Filius in divinis a Patre generatur. Loquendo etiam de prima particula ipsius tertii modi, Pater necessario generat Filium, quia immutabiliter determinatur ad generationem Filii per suam naturalem proprietatem. Unde hos duos modos necessitatis videtur in divinis approbare Richardus 6 De trinitate³ sic dicens. *Nihil itaque ibi est, scilicet in divinis iuxta donum largientis gratiae, sed totum iuxta proprietatem exigentis naturae, et hoc quantum ad primum modum necessitatis, quem posui esse in divinis.* Et subdit immediate Richardus dicens. *Sicut enim innascibili naturale est ab alio non procedere, sic sane ei naturale est de se procedentem habere.* Cum igitur secundum Philosophum 5 Metaphysicae⁴. *potissimus modus necessitatis sit in eo, quod impossibile est aliter se habere, igitur, cum ille modus in utroque iam dicto modo in divinis implicetur, videtur mihi, salvo semper meliori iudicio, quod possit sane concedi haec propositio, Pater generat Filium necessitate.*

QUANTUM AD TERTIUM principale scilicet, quomodo Pater dicitur Filium voluntate generare. Dico ex secunda distinctione quod, si voluntas sumitur pro potentia productiva eius, quod per modum voluntatis procedit, tunc Pater non generat Filium voluntate, quia illa persona divina, quae non est amor, vel non procedit per modum amoris, non producitur hoc modo voluntate, Filius non procedit per modum amoris, sed per modum verbi intellectualis, ergo etc. 2. Praeterea, prima persona producta non potest procedere, nisi per modum primae potentiae. Sed secundum nostrum modum intelligendi, intellectus est prior potential, quam voluntas, et Filius est prima persona producta, ergo etc. ISTAM AUTEM primam conclusionem probant quidam⁵, sed medio impertinente, dicentes quod eorum tantummodo voluntas est principium, quae possunt esse et non esse, et quae possunt aliter se habere, sed generatio Filii non potest aliter se habere. SED ILLA ratio est contra seipsos, quia ipsimet ponunt quod voluntas est principium productionis Spiritus Sancti, et tamen productio Spiritus Sancti non potest non esse,

² Libro 3 Ethicorum, cap. 5

³ cap. 1

⁴ tex. c.6

⁵ Tho. Per.I.q.41.ar.2

et non minus est immutabilis, quam Filii generatio. SI AUTEM voluntas sumitur secundo modo, puta pro actu perfecto voluntatis, sic concurrat ad generationem Filii, quia illa nobilissima generatio esse non potest sine perfectissima complacentia, constat autem quod talis perfecta complacentia est proprie actus voluntatis et maxime respectu summi boni. Et illo modo posset intelligi verbum Richardi 6 De trinitate cum ait:⁶ *Ingenitum velle de se habere conformem atque condignum, idem videtur mihi, quod gignere*. 2. Praeterea, verbum perfectum produci non potest sine amore, quia secundum Augustinum⁷ *verbum est notitia cum amore*. Cum ergo verbi productio sit verbi generatio, et amor sit actus voluntatis etc. Isto etiam modo verificatur dictum evangelicum, quo Pater Filium protestatur dicens⁸. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite*. Et iuxta hunc sensum vult Augustinus 15 De Trinitate⁹ quod *sicut Deus natura est Deus, et tamen cumplacet sibi in eo, quod est Deus, sic Pater Filium natura genuit, et tamen in sui generatione sibi complacuit*. SED CONTRA illam primam conclusionem posset argui quod divina voluntas habeat rationem principii in generatione Filii. Quia, si actio naturae praecederet in divinis actionem voluntatis, ratio libertatis totaliter tolleretur, quia, cum natura sit determinata ad unum, si natura praeveniret voluntatem, ipsa determinata movebit voluntatem ad unum tantum. Nihil igitur libere a Deo posset procedere, si ipsa generatio, quae est prima Dei actio, esset naturalis voluntas, igitur erit eius principium, alias nullam creaturam Deus posset libere producere, quod est erroneum. 2. Praeterea, Beatus Augustinus¹⁰ exponens illud: *Ipse dixit et facta sunt, ait sic, id est verbum genuit, in quo erat, ut fieret*. Ex quo dicto vult Augustinus quod verbum sit ratio producendi creaturas. Si ergo ver-[131a]-bum

[131]

a Patre naturaliter procedure, et non per imperium voluntatis, omnis creatura a Deo procederet necessario. 3. Praeterea, Hilarius dicit: *Si quis nolente Patre natum dicit Filium, Anathema sit, ergo Pater genuit volens*. 4. Item idem Hylarius ait quod *non naturali ductus necessitate Pater genuit Filium*. 5. Item Dionysius in De divinis nominibus ait: *Divinus amor non permisit ipsum esse sine germine, igitur Pater genuit volens*. SED ILLA non concludunt. Quia, sicut ait Augustinus 6 De trinitate¹¹, *Filius Dei procedit a Patre naturaliter, sicut splendor ab igne*. 2. Praeterea, si voluntas esset principium generationis Filii, vel hoc esset voluntas accedens, vel antecedens, vel coaeva. Non primo modo, quia ille fuit error Eunomii, qui, ut ait Augustinus 15 De trinitate¹², dixit *Filium esse Filium voluntatis, voluntate accedente*. Contra quem errorem ibidem disputans Augustinus ait quod *Deus esset mutabilis, quia aliqua voluntas sibi de novo adveniret*. Nec secundo modo, quia quae voluntate antecedente a Deo procedunt creata sunt, et sic esset error Arrii, qui Filium asseruit esse creaturam. Nec tertio modo, quia ut sic sequeretur error Sabellii, qui confusionem posuit personarum. Nam voluntas Deo coaeva quantum ad emanationem, quae est ad intra, est adaequata per productionem Spiritus Sancti. Si enim non adaequaret huiusmodi productio suum principium, tunc non esset omnino perfecta, quia ipsum principium eam excedens posset aliquid perfectius producere, sed a principio adaequato alicui producto non potest aliquid procedere differens a tali producto. Si igitur Filius generetur a Patre per voluntatem coaevam, ipse a Spiritu Sancto esset penitus indistinctus. FORTE HIC dicetur quod, si Spiritus Sanctus procedit per modum voluntatis, et non Filius, tunc nobilior esset

⁶ Cap. 17

⁷ 9. De trinit. c.10, to.3

⁸ Math.17.; Luc.9.

⁹ Cap. 20 tom.3

¹⁰ Psal.14; Psal.3; super Gen. ad lit. li. 1. c. 2. to.3

¹¹ cap.1, tom.3

¹² cap.20, tom.3

processio Spiritus Sancti, quam Filii, quia processio, cuius principium est voluntas, est libera, liberum autem est nobilius non libero. ITEM ID QUOD procedit per modum artis videtur esse voluntarium. Ista patet dupliciter. Primo, quia quod procedit per modum artis non potest procedere per modum naturae, cum ars et natura sint principia condistincta, ut patet 6 Ethicorum¹³. igitur procedet voluntarie. Secundo, quia voluntas est principium artificialium, ut patet 3 De anima¹⁴ et 6 Ethicorum, *sed Filius procedit per modum artis, cum ipse sit ars omnipotentis Dei, plena rationibus omnium viventium*, ut ait Augustinus in libro 6 De trinitate¹⁵. ITEM GENERATIO Filii vel est volita a Patre, vel non est volita. Si est volita, tunc et genitum erit volitum, et per consequens voluntas erit principium ipsius Filii, quia omne quod procedit ut volitum illius voluntas est principium. Si autem non est volita, tunc non esset deliciosa, sed poenosa, et hoc dicere videtur esse Anathema, ut patet per Hilarium in libro de Sinodis, igitur ab his desistamus. ISTAE AUTEM INSTANTIAE non infringunt praedictam rationem. Ad primum igitur dico quod, sicut Spiritus Sancti processio sic est libera, quod non est contingens ad utrumlibet, sed immutabilis et determinatissima, sic Filii generatio, sic est naturalis et necessaria, quod tamen est liberrima, non tamen libertate contradictionis, sed libertate perfectissimae complacentiae, quae est multo maior libertas et nobilior, [131b] * quam ea quae est contradictionis. Ad secundum dicendum quod aliquod procedere potest per modum artis dupliciter. Uno modo, quia ars est eius principium, alio modo, quia ipsum est ars procedens, modo quo dicitur creatura salis, id est creatura quae est sal. Primo modo, procedens per modum artis est ipsum artificiatum et omne tale sic est volitum, quod etiam voluntas est suum principium. Secundo modo, licet obiective possit dici volitum, non tamen productive, ita quod voluntas sit suae productionis principium. Sed Filius secundo modo procedit per modum artis, ipse vero creaturae primo modo. Ad primam probationem maioris dicendum quod illud, quod procedit per modum artis secundo modo, illius natura est principium, quia naturale ingenium invenit artem, et cum dicitur natura et ars sunt principia condistincta, dico quod ipsa sunt condistincta principia ratione distinctorum suorum productorum, non tamen proprie debent dici condistincta principia. Illa enim proprie dicuntur condistincta principia, quorum neutrum est ex altero, sed, ut iam dixi, natura est principium artis.

Ad secundam probationem dicendum quod, quamvis voluntas sit principium ipsorum artificialium, non tamen proprie est ipsius artis principium, Filius autem non est artificiatum, sed est ipsa ars patris. Ad tertium dicendum quod generatio Filii est volita per modum obiecti voluntatis, et eodem modo ipse Filius genitus est voluntas, non tamen ex hoc sequitur quod sit per voluntatem productus, quia, si illa consequentia esset bona, tunc ipse Pater esset a voluntate productus, cum ipse per modum obiecti sit volitus, immo voluntas produceret seipsam, cum ipsa velit seipsam, est ergo in probatione consequentiae fallacia consequentis, puta est volitum, ergo procedit ut volitum, quia dato quod Filius procedat ut volitum obiective, non tamen procedit ut volitum productive, puta quod ipsa voluntas sit suae productionis principium. AD PRIMUM EORUM, quae adduxi contra primam conclusionem tertii articuli, dicendum quod natura, quae est essentialiter libera, non tollit libertatem, sed natura divina est essentialiter libera. Etiam potest negari prima consequentia, quia, quamvis in nobis actus naturae praecedat actum voluntatis, non tamen tollitur libertas a nobis. Etiam dato quod natura determinet creatam voluntatem respectu ultimi finis, tamen nec tollitur respectu ultimi finis libertas complacentiae, nec respectu eorum, quae sunt ad finem libertas contradictionis. Et similiter, nec in Deo respectu eorum, quae producuntur ad intra tollitur libertas complacentiae, nec respectu eorum, quae producuntur ad extra libertas contradictionis. Ad secundum dicendum quod Filius est ratio producendi creaturas, sicut ars est ratio producendi artificialia, scilicet cum proposito et

¹³ cap.4, tex.c.49

¹⁴ cap.6

¹⁵ c.10.to.3

determinatione voluntatis. Ad tertium patet ex praecedentibus. Ad quartum dicendum quod Hylarius ibi loquitur de necessitate coactionis et violentiae, quam etiam ego a Deo penitus excludo. Ad quintum dicendum quod Dionysius ibi loquitur de productione creaturarum. ARGUMENTA POSITA principaliter ad quaestionem ambo concedo iuxta ea, quae dixi in distinctionibus supradictis. [132a] *